



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Membrum XI. De ijs, quæ erga Communitatem sunt observanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

tamen non obstante, non videtur Pastor eò usque obligari, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administra- re cogatur; non enim videtur mens Concilii fuisse, ut Pato- chus, qui Parochiæ suæ tam utilis est, cogatur sine necessita- te gravissimum vitæ periculum subire.

Qu. 8. *An, si Ecclesia habeat propriam domum Parochia- lem, Pastor eâ relictâ possit in paterna vel Cognatorum domo intra fines Parochia existente habitare?* R. affirmative cum Possentino de offic. Curat. c. 1. n. 7. quia, cum supponatur ex paterna domo prospicere sufficienter posse Parochianorum suorum necessitatibus, non apparet ratio, cur ei propter majus commodum, aut aliam similem causam talis habitatio concedi non possit.

M E M B R U M X.

De iis, quæ erga Magistratum observare debet.

Qu. 1. *Quid erga Magistratum observare debeat Pastor?* R. sequentia præcipuè. 1. Ut non immisceat se in rebus, quæ ad politicam administrationem pertinent; nihil enim perinde animos avertit, quàm si suis quisque limitibus non contentus alienos invadat. 2. Ut omnem illi reverentiam & honorem tam verbis, quàm factis exhibeat, suòque exem- plo etiam subditos suos incitet ad similem reverentiam exhi- bendam; sic enim efficiet, ut ipse quoque Magistratus ipsum vicissim revereatur, ejusque auctoritatem apud subditos de- fendat. 3. Ut studiosè caveat ab omni tam privata, quàm publica coram subditis murmuratiõne, aut correctione Ma- gistratûs; hoc enim modo magis exulcerantur animi, quàm emendantur. Quòd si gravem errorem à Magistratu com- mittere, aut subditos graviter premi advertat, tum aut ipse il- lum privatim cum suavitate & discretionem moneat; aut si mi- nus fructuosam fore admonitionem timet, ad Ordinarium rem deferat, & quid in tali casu faciendum sit, ab eo ex- spectet.

M E M B R U M XI.

De iis, quæ erga Communitatem observanda.

Qu. *Quid circa Communitatem observare Pastor debeat?*
R. tria potissimùm illi procuranda, quæ in corpore humano,
Instruct. IV. M *cujus*

cujus similitudinem refert Communitas, observari videtur juxta triplicem videlicet ordinem, quo membra inter se comparari possunt. 1. Itaque curet, ut Caput seu Magistrus erga Subditos tanquam membra ritè se gerat, atque adeo ut caput liberaliter reliquorum membrorum necessitatibus succurrat (dum & cibum ac potum assumit, & ad illa committit, & præterea etiam alia media, quibus eorum infirmitatem conservet, excogitat, & procurat) infirmitatibus compatitur, & cum illis in lecto se collocat, & tandem aliquid membris imperare vult, modo suavissimo, & pleneque præcundo id facit; ita & Magistratus hæc ipsa ratio erga subditos observare studeat. 2. Ut subditi erga Magistratum perinde se gerant, sicut membra erga caput, adeo promptè obediant; honorem præminentie & dignitatis libenter concedant, imò ipsi deferant; Superiores pro viribus defendant, sicut manus aut tergum ad suscipienda pro capite vulnera se ultrò exponunt. 3. Ut iidem subditi inter se, sicut membra ejusdem corporis se gerant, adeo compatiantur sibi mutuò in infirmitatibus; congaudentur sibi de bonis: & sese invicem in oneribus permutentur, sicut in corpore modò pes, modò latus, modò pedum aut alia pars totum pondus reliquorum membrorum sustinet. Quorum quidem omnium capitum executiones quanto perfectius suâ industriâ Pastor obtinebit, tanto persistentius suo erga Communitatem munere perfunctus videbitur.

M E M B R U M XII.

De iis, quæ erga Infantes observanda sunt.

Qu. 1. *Quid circa Infantes observare Pastor debeat?* Hæc tria præcipuè, quæ sequentibus versiculis memorantur, nonnemo complexus est.

Matrum tollat malitiam;

Vt rectè generentur.

Omnem gerat industriam,

Vt verè baptizentur.

Gravem fuget socordiam,

Vt sanctè educentur.

Qu. 2. *Quomodo rectam generationem promovere possit?*